

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXXIV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XXXIV.
 DE PIPERE, PLANTAGINE,
Pimpinella, Potentilla, Paride
 & *Papyro.*

Piper nigrum ac rotundum gignitur, à quibusdam infirmis viticulis. Hæ ad fastigium vicinarum arborum altiori complexu scandunt. Vvarum labruscæ modo profertur racematum. Confertius virens, donec sicetur; quod dum fuerit, (fit in Octobri) decerpitur & sub ferventi Sole tegetibus palmeis expansum torretur, quoisque nigrescat, & evadat rugosum. *Mathiol. lib. 2. Diosc. c. 153.* Majoris *Plantaginis* radix sacculo inclusa, & regioni cordis cum filo adaptata à peste præservat. Cerrissimum remedium *Scoltius epist. 268, ex Monavio* recenset. *Pimpinella Chaba Regis* inventum est: hac 15000 Vngarorum sibi post prælium relicta vulnerata, sanavit. *Clus. in Nomen. Pannon.* Solutam aqua calida febribus continuam sanare, compertum est. Contra Hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, veluti alio modo post demorsum usurpet, nihil incommodi sentiat, *Fernelius* reliquit. *Potentilla pedum* plantis manumque volis admota, quarumcunque febrium remittit calores. *Mathiol. in l. 5. c. 37.* *Paridis* acino semen colligitur, cui excellens contra neficia vis est. Obrepserat quibusdam morborum diuturnitate stultitia, beneficio malo quibusdam; hi hausto herbae ad vigesimum diem semine, drachmæ pondere, pristinæ sanitati restituti sunt. *Papyrus* nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagata stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens. *Plin. 13. c. 11.* Ægyptii è biblo examputato papyri vertice navium compages faciebant

bant intorsum, ex eodem & vela & calceos. *Herodot.*
lib. 2. Calceis his soli utebantur Sacerdotes, ut *Aristides* scribit. Inferiorem partem cubiti longitudine & vendere & comedere solebant, eximia quadam suavitate cum in furno torrentur. Primus hic Ægyptiis cibus, hinc originis Index fasciculi, papyracei pictura. *Dalechamp ad lib. 13. Plin. c. 11.*

CAPUT XXXV. DE QUERCU, RHABAR-

baro, Rapo & Rore Solis.

IN Mauritania *Quercus* oblongam ferunt glandem, sapore dulciore, & delicatiore, quam *Castanea*. *Scalig. exerc. 181. s. 26.* Littoris sinus Pucici tractus saevis est, bituminosis glebis. Adnascuntur illis pallidæ arbustulæ, vix ad pedis altitudinem. *Quercus* eis & buxi species, sed sine radice. Vedit *Scaliger* enodem & rectam pedum septuaginta quinque longitudine. Triginta pro illa offerebantur Coronati. *Scalig. exerc. 166.* Paulo supra Cauchos ingentes ad littora lacuum duorum fuisse memorat *Plin. lib. 16. cap. 1.* quæ suffosse fluctibus aut propulsæ flatibus vastas complexu radicum Insulas secum auferebant; atque ita libratae stantes navigabant, ingentium ramorum armamentis. Sæpe territis classibus Romanis, cum velut industria fluctibus agerentur, in proras stantium noctu. In Thuringio agro nunquam folia demittebat una, ante medium nunquam germinabat a statere. *Rhabarbarum* in sola provenit China, inde per Vsbechen in Turciam, hinc Venetas transfertur. Insignes ejus vites commemorantur, & hydroponi adfertur exemplum; qui cum in summo fuisse periculo, Rhabarbari fortuito usu, non tantum a morbo liberatus est, sed etiam ad primum pervenit senium. *Adolphus Occo in Scoltii Epist.* Inflixerat eidem lethale servus vulnus post morbum, & quarto vel septimo die moriturum sperabant Chyrgi: Convaluit, & quod evaserit, Rhabarbari usui post